

Martí Sanjaume, Jaume.

*Dietari de Puigcerdà amb sa vegueria de Cerdanya i sotsvegueria de Vall de Ribes: vol. I
apendix a. 815-1300.*

Lleida: Impremta Mariana, 1928.

Pàg. 745-746-747-748-749-750

24-05-1294

Notum sit omnibus quod cum grauis discordia et ingens (radix) questionem esset orta inter Universitatem hominum pulcrivisus ex una parte et Raimundum de Ripa et Arnaldum de Ripa fratres et homines eorum existentes infra parochiam Sancte Eulalie de Pino ex altera super usu et adempruio et usu tlliandi et immitendi et depascendi suum bestiarium ad eorum voluntatem et cuiuslibet in nemoribus et pasturis vallis seu vallium de Pino. Quem et quod dicti homines dicebant se habere nunc et eorum possessores habuisse ab antiquo in dictis nemoribus et pasturiis. Item et super resclausa et recepcione aque Sigoris quam dicti fratres receperant et recipiebant infra terminos et tutoriam dicti castri Pulcrivisus ducendam per illum rechum infra dictorum locorum constructum iam et ducencia ad sua molendina bladeria quae dicti fratres habent et possident iuxta dictum flumen Sigoris, loco vocato Galiça quam resclausam tanquam indebite constructam ut dicebatur per dictos fratres, removerant et extruxerant homines supradicti credentes uti suo iure. Item et super pasturis et tutoria seu salidosa que est contigua dicto recho per quem labitur aqua ad dicta molendina dictorum fratrum. quae quidem pastura tutoria seu salidosa protenditur ut dicebant dicti homines usque ad gurgitem vocatum de les Caudes. Et asserebant eandem esse de proprietate dicti castri Pulcrivisus. Et usui et adempruio dictorum hominum deputatam. predictis fratribus in contrarium asserentibus et dicentibus predicta nemora ad eos quoad possessionem et proprietatem plenarie pertinere. Et difitentibus dictos homines seu eorum predessores dictum usum seu adempruium usum talliandi vel alia in dictis nemoribus minime habuisse. Et insuper asserentibus dictam resclausam in dicto flumine et loco licite habere et debite habuisse, et illam indebite fuisse remotam et destructam per homines supradictos. Item et dictam pasturam tutoriam seu salidosam ad eos et eorum usu utique pertinere. Propter que inimicie hodia et rancores orte fuerant et damna data plurima inter partes. Tandem intervenientibus amicis post multos tractatus super his habitos pacis et concordie finitis et relaxatis hinc et inde rancoribus inimiciis et malivolenciis necnon et damnis datis et expenssis factis vicissim ab utraque parte predictis partibus presentibus volentibus et consencientibus et cupientibus inimicias et discordia ad concordiam revocare et pacem inter eos et amiciciam reformare fuerunt premissae questiones et controversie compossite et terminate et earum quelibet auditis racionibus utriusque partis in hunc modum.

Videlicet quod predicti Raymundus de Ripa et Arnaldus de Ripa fratres et eorum homines habitantes infra parochiam Sancte Eulalie de Pino et eorum successores et quos ipsi voluerint habeant perpetuo ad eorum omnimodam voluntatem et suorum sine impedimento hominum castri de Pulcrovisu presencium seu futurorum nemus seu nemora aquas pasturas et pasturalia inclusa seu inclusas et que includuntur per has confrontaciones seu vias. Scilicet quantum includitur a parte Orientis per viam qua itur recto modo de Pulcrovisu ad villare de Nephel et de dicto villari itur et ascenditur superius recto modo asopla subtus paudium de Richart et inde vadit et ascendit usque ad rupem cruce signatum et in quo facta cruce pro termino qui est iuxta matam nemoris vocatam de Ramestrany et intrat in eadem et inde descendendo dicta uia seu terminus transit a cortale den Perer et in plana seu puiada de Seraxo et inde ascendit tota serra ad quandam rupem in capite serre possitum cruce signatum et in quo facta crux propter terminum et inde descendit ad uiam ibidem de prope existentem qua venit ad dicta nemora et per quam regreditur que vadit et ducit euntes

recto modo ad Quartariu et dicitur via de Quartariu. Quantum per hoc loca superius designata et per predictas confrontaciones et dictas duas vias de Quartariu et de Nephel includitur ad ayguaues dicte vallis de Pino sive sint nemora sive aque sive pasturas seu pasturalia ligna et alia quecumque fuerint usui seu voluntati hominudeputata habeant dicti fratres et sui predicti homines et eorum succssores et quos ipsi voluerint ad eorum omnimodam voluntatem inde perpetuo faciendam sine impedimento hominum castri de Pulcroviso presencium et futurorum. Ita quod dicti homine de Pulcroviso presentes seu futuri non utantur nec posse uti intra dicta loca lignis fustibus hervis aquis vel aliis aliquo modo seu racione. Nec habeant aliquod adempruium infra dicta loca set sit perpetuo proprietas propria et devesa dictorum fratrum et suorum hominum predictorum.

Item habeant dicti fratres et sui predicti homines et eorum succssores podium voctum de Richart ad depascendum herbas et pasturas cum suo bestiaro ad eorum voluntatem. Eciam super dictam viam de Nephel usque ad summitatem dicti podii sicut apendet et mirat ad ayguaues versus torrentem seu vallem de Pino. Que pasturas seu pasturalia protenduntur de sumitate dicti podii ad alium rupem superiorem sibi contiguum et inde ascendit asopla ad alium rupem sibi contiguum usque ad alium rupem cruce signatum et in quo facta est crux propter signum qui est iuxta torrentem de Resamir sicut mirant et dependent dicti rupes versus vallem de Pino. Dictas pasturas et pasturalia inclusas seu inclusa per predicta cacumina rupium sicut dependent versus torrentem seu vallem de Pino habeant dicti fratres et sui homines predicti et eorum succssores et depascant cum suo bestiaro grosso vel minuto ad eorum voluntatem et cuiuslibet sine impedimento predictorum hominum Pulcrivisus et suorum succsessorum.

In omnibus vero aliis nemoribus et pasturis seu pascuis dicte vallis de Pino et infra dictam vallem et eius terminis constitutis supra villare et castro de Pino versus nemora habeant dicti homines de Pulcroviso presentes pariter et futuri habitantes et habitaturi et eorum succssores usum et adempruium et utantur sine impediemento dictorum fratrum et dictorum suorum hominum et eorum succsessorum ad usum eorum proprium et ad ea que eis et cuilibet eorum fuerint nessessaria et usui eorum deputata et sui bestiaro de dictis nemoribus pasturalibus aquis garriguis seu pasturis. Ita quod liberum usum et adempruium habeant in predictis nemoribus omnibus aliis et pasturis. Preterquam in his que superius sunt dictis fratribus et eorum hominibus et eorum succsessoribus eorum usui deputata. Ad que quidem nemora et ad usum et adempruium eorundem possint ire libere et sine impedimento dictorum fratrum et suorum hominum per uiam supradictam que dicitur de Nephel et per viam que dicitur de Quartariu que via de Quartariu exeat ad caminum publicum de Anaç et per dictas vias ire et intrare ad dicta nemora cum animalibus suis grossis de bast vel sine ad ducendum et abstraendum fustam de dictis nemoribus ad dictum eorum usum ut est dictum et redire per easdem cum fusta lignis herbis seu aliis eis nessessariis et usui eorum deputatis et cuiuslibet.

Hoc saluo retento et excepto quod predicti homines de Pulcroviso seu sui succssores presentes vel futuri non possint mittere seu ducere ad dicta nemora seu pasturas eciam in his in quibus retinent usum adempruium, bestiarum grossum vel minutum per dictas vias, nec eciam intrent seu possent intrare dicti homines Pulcrivisus habitantes seu habitaturi nunc vel in antea cum ibunt ad dicta nemora sive usum et adempruium eorundem sive cum regredientur de eisdem cum fusta vel sine fusta seu lignis in dictam vallem sive infra dictam vallem nec tunc ire vel redire per eandem quantum includitur per dictas vias versus dictam vallem dependendo que dicuntur de Nephel et de Quartariu. Quod si fecerint dicti homines Pulcrivisus sit licitum dictis fratribus et suis hominibus, illis hominibus Pulcrivisus in contrarium facientibus licite proibere et fustam auferre et impune.

Item super cacumina montis de Richart et rupium sibi contiguorum predictorum habeant predicti homines Pulcrivisus habitantes et habitaturi usum depascendi mittendi et ducendi bestiaro sua grossa vel minuta in dictis nemoribus seu pasturis intrando et descendendo

usque ad viam qua itur et dicitur de Nephel. Dicto vero podium de Richart et quidquid est supra dictam viam de Nephel quantum ad ligna et fustam remaneat et sit in comuni usu omnium hominum predictorum.

Preterea fuit terminatum et dictum quod predicti fratres et sui succcessores, dicto uso seu adempruio dictorum hominum Pulcrivisus non obstante, mittant et possint mittere homines ad talliandum in dictis nemoribus ad foristiam quam voluerint in foristiam tenere si voluerint ad eorum omnimodam voluntatem, et homines dictorum fratrum in dictis nemoribus similiter possent uti. Et ita de dictis nemoribus usu et adempruio eorundem inter predictas partes et eorum succcessores perpetuo obseruetur.

Super dicta resclusa vero et aquali fuit compositum et terminatum quod dicti fratres redeant et possint redire et construere dictam resclausam et paxeriam ad eorum voluntatem in flumine Sigoris in loco ubi erat et ubi esse consuevit vel circa sine impedimento et contradiccione universitatis seu comunitatis hominum Pulcrivisus, quam (contradiccionem) dictis fratribus non faciant nec facere possint dicti homines ut universitas vel pro universitate in predictis licet capudrechum seu aquale vel rechus sit positus infra tutoriam seu terminus Pulcrivisus.

In his omnibus iure et hominio et voluntate illustris domini regis Mayoricharum saluis perpetuis et retentis. Et saluo et retento quod amodo in antea dicti fratres seu sui succcessores non possint ultra a parte superiori plus protendere dictam resclausam seu aqualem si destruat in turbacione aquarum vel alio modo dicta reclausa. Sed per dictam resclausam in dicto loco faciendam aquam Sigoris recipiant et eandem ducant libere per dictum rechum ad sua molendina bladeria de Galiça sine impedimento universitates hominum Pulcrivisus. Nullo tamen facto preiudicio per hec si alicui dictorum hominum dicti loci vel alterius singulariter in dicta reclausa seu recho se putaverit ius habere.

Item et super dicta tutoria seu salidosa et pasturalia eiusdem loci fuit dictum et terminatum quod predicti homines Pulcrivisus habitatores et habitaturi in perpetuum habeant dictam tutoriam et salidosam ad eorum omnimodam voluntatem. Et utantur eadem cum bestiaro vel sine et sit de proprietate et terminis castri Pulcrivisus usque ad rupes inferiores contiguos dicte salidose a qua libet parte fluminis Sigoris in quibus facte sunt cruces pro terminis atque signis, et in dicta tutoria seu salidosa nullam talliam nullum adempruium cum bestiaro vel sine habeant dicti fratres seu eorum homines supradicti. Hoc retento et salvo tantummodo dictis fratribus quod si dicti fratres vel sui succcessores vellent recipere aquam Sigoris et facere rechum per dictam salidosam seu tutoriam inferius tamen dictam resclausam quam nunc sunt relecturi et facturi, possint per dictam salidosam seu tutoriam aquam Sigoris recipere et rechum facere et resclausam ubicumque et aquam inde ducere ad dicta sua molendina, recho antiquo dimisso in tutoriam redeunte.

Unde nos homines Pulcrivisus infrascripti et nos Raymundus et Arnaldus de Ripa fratres predicti certificati ad plenum de omnibus supradictis et singulis et de omni iure quod nobis competit et competere potest in premisis non iu non metu nec dolo induti set spontanea et gratuita voluntate per nos et omnes succcessores nostros laudamus et aprobamus et confirmamus omnia et singula supradicta. Et promitimus ad iuiuicem per nostram bonam fidem et firmam stipulationem omnia predicta et singulatenerere servare et in aliquo non contravenire per nos vel aliquam personam interpositam occulte vel manifeste in iudicio sive extra, aliqua racione sive modo, obligantes ad inuicem pro his atendendis et complendis omnia bona nostra. Et renunciamus scienter et consulte omni iuri legi et canoni et consuetudini nobis competentibus vel competituris ad hec infrigenda vel aliquod horum predictorum.

Actum est hoc .IX. kalendis iunii anno Domini .M. .CC. .XC. quarto. Sig+num Ferrarii Linatç, felicis de Navescart, consulum Pulcrivisus qui hec laudamus. Sig+num ...na Arnaldi de

Corts. Petri de Sai. Guilelmi de Soler. Bartolomei burgues. Petri Bartolomei. Arnaldi de Sancto Martino. Guilelmi custurer. Iacobi Gualt. Ripolli Guilelmi Iemusi. Arnaldi de Caselis. Berengarii de Cardils. Raimundi Figols. Gulielmi Cerinyá. Iacobi Mir. Petri Thelo Iaurador. Petri Siqra et Burdi vitalis. Arnaldi Stephani. Arnaldi Çaragoça. Raimundi Ceriya. Guilelmi Navescart. Raimundi Cuartariu. Ferrarii Fabre. Raimundi Fabre. Simonis den Ambreda. Bernardi de Corts. Berengarii Stephani. Bertrandi de Pi. Ferrarii den Pigilem. Guilelmi Bernardi. Bernard Disobol. Bernardi Thelo. Bernardi de Senta Maria. Guilelmi de Villela de Portallo. Guilelmi Mathei. Petri Beders. Iacobi de Pi. Guilelmi de Vilella çabater hominum Pulcrivisus qui hec laudamus et firmamus. Sig+na Raimundi de Ripa et Arnaldi de Ripa, fratrum et dominorum de Pino qui hec laudamus et firmamus. Sig+na Iacobi Amil. Raimundi Sagerra. Raimundi Daniula. Petri Iover de Podio Cerdano. Ioannis Gras iurisperiti testium rogatorum et ad hoc specialiter vocatorum. Petrus de Regali hec scripssit mandato notarii subscripti. +Petri de Rivo, notarii Thelone et publici qui hec subscribunt.